Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8454
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

xxxv. Igitur congregata omni multitudine filiorum
Israel dixit ad eos. Hec sunt que iussit dominus
fieri. Sex diebus facietis opus. Septimus dies
erit uobis sanctus. Sabbatum est requies domini qui fece-
rit in eo opus occidetur. Non succendetis ignem
in omnibus habitaculis uestris per diem sabati. Cetera
ta cum iam superius de sabato diximus. semper quoque idem
dicere superfluum est. nouam uero in eodem semper
querere expositionem supersticiosum esse uidetur.
Nemo autem in sabato ignem succendat nemo li-
tes et discordias suscitet unde in iram et furorem
populus seuiens succendatur.
Ego autem omnipotenti deo gratias ago qui me per
hanc siluam obscuram satis et densam recto
ut opinor itinere huc usque perduxit. Que enim
sequuntur usque ad finem libri superius omnia et
narrata et exposita sunt. Deo autem omnipotenti
sit honor et gloria uirtus et imperium et nunc et semper
et in omnia secula seculorum. Amen.

Explicit expositio beati Brunonis episcopi super Exodo.

Incipit prefatio beati Brunonis episcopi super expositionem
Leuitici.

Post geneseos et exodi expo-
sitionem secundum ordinem quo
scripti sunt duce Ihesu ad
leuiticum transeamus. ad cu-
ius operis explanationem
deum patrem omnipotentem
et filium eius Ihesum Christum
una cum spiritu sancto inuoco suppliciterque deposco. ut
eodem spiritu quo Moysi mentem ad scribendum re-
pleuit meam quoque ad hunc librum exponendum
replere dignetur. Hoc autem uolumine Moyses i-
mo spiritus sanctus per Moysen de sacrificiis plenissime
disputat. Quibus utique si spiritualiter intelligantur
procul dubio et peccata tolluntur et deus placatur
et peccatoribus uenia datur. Omnia autem omnia
iudeorum sacrificia Christi quodammodo passionem et mor-
tem denuntient. quedam tamen illud maximum et
singulare sacrificium quod in ara crucis Ihesus ipse
hostia et sacerdos deo patri obtulit. proprie spetia-
literque significant. Quedam uero hoc quod in eius
memoria cotidie in ecclesia fit a sacerdotibus. Que-
dam uero sanctorum martirum passiones. Alia uero ipsam car-
nis nostre macerationem. Alia nichilominus cordis
et spiritus contritionem designant. Horum enim animalium
holocausta quorum sanguis infertur in sancta per pon-
tificem quorum carnes non comeduntur sed cre-
mantur extra castra Christi proprie passionem testan-
te apostolo denuntiant. Ait enim Quorum enim animalium in-
fertur sanguis in sancta per pontificem eorum corpora
cremantur extra castra. Hoc autem exponens mox
subdidit dicens. Ita et Ihesus ut sanctificaret per suum
sanguinem populum extra castra passus est. De
hiis autem que deo propitio multa in sequentibus dic-
turi sumus plura ad presens dicere non uidetur
necesse. Nunc igitur ad ipsius libri uerba ueniamus.

Explicit prefatio incipit tractatus.

Uocauit autem Moysen et locutus est ei dominus
de tabernaculo testimonii dicens. Loquere
filiis Israel et dices ad eos. Homo quicumque obtu-
lerit ex uobis hostiam domino de pecoribus id est de
bobus et de ouibus offeretis uictimas. Si holo-
caustum fuerit eius oblatio ac de armento mascu-
lum immaculatum offeret ad ostium tabernaculi testi-
monii ad placandum sibi dominum. Homo enim
iste qui ad placandum sibi dominum uictimas offert
Christianorum populus non esse uidetur. Qui non solum
super ecclesie altare uisibile uerumetiam in mentis al-
tari inuisibili uitulum de armento patriarcharum in